



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Anselmvum Episcopvm
Lemovicensem. Non separandum virum ab vxore, qui filium suum
necessitate vrgente baptizauit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CLXXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANSELMVM EPISCOPVM LEMOVICENSEM.

Non separandum virum ab vxore, qui filium suum
necessitate vrgente baptizauit.

Anselmo episcopo Lemouicinæ ecclesiæ.

Ad limina beatorum Petri & Pauli apostolorum principi^{30. quæst. 1.}
Apum hic præsens homo, nomine Stephanus orationis
causa veniens, nostro præfulatui suggestendo innotuit,
quod filium suum in extremo vitæ positum, nec baptismatis
vnda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate
cogente baptizasset, eumque ipse propriis manibus reti-
nendo suscepisset, atque pro huius rei negotio notitiæ
tuæ patefacto, reuerentia tua, quasi zelo rectitudinis fla-
grans, præfatum hominem a sua iudicauerit coniuge sepa-
randum. Quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura
a Deo iunctam viro esse vxorem, &, *quod Deus coniun-*
xii homo non separat. Vnde & Dominus in euangelio ne-
minem posse dimittere vxorem suam, nisi causa fornicati-
onis apertissime iubet. Quapropter & nos, tantæ auctoritatis
iussione præcipue freti, dicimus omittendum es-
se, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit.
Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, iuxta ca-
nonicam sanctionem, si necesse fuerit, facere libere con-
ceditur. Vnde si prædictus genitor filium suum corpore
morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereun-
tem dimitteret, sacri baptismatis vnda lauit, vt eum de po-
testate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in re-
gnum Christi iam regeneratum indubitanter mitteret, be-
ne fecisse laudatur. Et idcirco cum sua vxore sibi iam olim
legitime sociata impune, quamdiu vixerint, iudicamus
manere coniunctum, nec ob hoc contra præfatas auctori-
tates diuinas aliquatenus separari debere. Data vii. die
mensis Iunii, indictione XII.

*Ad limina.**Proph. 19.*
iuxta 70.
Math. 19.